

675

elt

a.

676

em

684

e

686

688

691

692

695

698

700

o.

IN SECUNDAM SECUNDÆ.

DISPUTATIO XXV.

De injustitia in communi.

Tot modis, quod Disput. XXI. sumitur nomen iustitiae, oppositum eidem nomen injustitiae sumi solet. Hic autem sumitur pro vitio opposito iustitiae speciatim dictæ, per quod vel omissendo vel committingo jus alterius læditur; licet verò modi, quibus iustitia cum legalis tum distributiva violatur, passim sunt in præcedentibus adducti, nihilominus hâc Disputatione generalia quædam & in sequentibus specialia de injustitia potissimum commutativæ iustitiae oppositâ dicenda sunt.

QUÆSTIO I.

Quid & quotplex sit injustitia in communi?

DICO I. *Injustitia habet materiam specialem & est particulare vitium iustitiae particulari oppositum S. Th. hic Q. 59. A. 1. O.*

Probatur Conclusio: ex definitione iustitiae quæ sumitur ex oppositione ad justitiam: videlicet constans & perpetua voluntas Jus suum cuique negandi vel est habitus, quo inclinamur in volendam injuriam vel Juris alieni violationem. Vel est habitus intentivus inæqualitatis inter damnum & lucrum alterius; quæ definitiones patent ex eo, quod si hæ actiones injustæ sint ex motivo speciali inæqualitatis, tunc, sicut actus iustitiae, qui sunt ex motivo speciali æqualitatis, ad habitum specialem iustitiae spectant, sic etiam hæ actiones necessariò ad speciale vitium iustitiae spectare debebunt, alias si actiones injustæ non ex hoc motivo ponerentur, sed ex alio motivo v.g. ex solo motivo

2. 2. *Theol. Schol. Pars posterior.* A yanæ

vanæ gloriæ, iræ aut concupiscentiæ essent quidem materialiter injustæ non tamen ab habitu specialis injustitiæ vel elicite vel imperatae, sed procederent potius ab aliis habitibus, ad quos videlicet pertinent motiva operandi, & ideo illorum vitiorum, & non injustitiæ specialis facilitatem suo modo augerent.

Ex quo sequitur actiones ex speciali virtio injustitiæ elicatas esse: velle aliis injuriam, quâ talem vel velle operari ex affectu lædendi vel non faciendi aut omitendi illud, ad quod faciendum vel omittendum alius habet jus activum: quia hujusmodi actiones solæ tales sunt, quæ fiunt ex motivo injustitiæ specialis prout injustitia non significat omne vitium justitiæ Evangelicæ oppositum, sed speciali virtuti justitiæ.

DICO 2. Injustitia est duplex, una quidem illegalis, quæ opponitur legali justitiæ... Alio modo dicitur *injustitia secundum inegalitatem quandam ad alterum...* Et est particulare vitium justitiæ particularis oppositum. S. Th. hic Q 59 A 5.O.

Explicatur Conclusio: cum unum oppositorum tot modis dicatur, quot aliud; *injustitia opposita justitiæ eo modo dividitur, quo justitia: est igitur injustitia illegalis sive generalis illa, quâ aliquis aliquid afferat vel lædit in contemptum boni communis, inquantum scil. agit ex intentione faciendi contrâ bonum commune & hæc injustitia est quidem generalis imperio, sicut & justitia legalis, quia omnes actus mali obsunt bono communis ac itâ referri possunt in nocumentum boni communis, essentialiter tamen est speciale vitium, quo quis vult nocere bono communi, cuius læsionem formaliter intendit, unde qui in concupiscentia furatur vel adulterium committit, licet hoc sit contrâ bonum commune: cum sit contrâ legem communitatis, talis tamen non committit actum illegalem contrâ justitiam, sed solum peccatum adulterii vel furti, quæ sunt contrâ*

DE INJUSTITIA IN COMMUNI.

trā alias virtutes distinctas à justitia legali ; si autem aliquis furetur ex intentione lādendi bonum communne , talis committit injustitiam illegalem , debetque hoc specialiter in confessione aperire tanquam circumstantiam variantem speciem.

Injustitia particularis dicitur : quia violat Jus partis, sive, quod habet pars communitatis vel ad bona communia secundum proportionem dignitatis distribuenda & ad onera communia proportionaliter ad participacionem in bonis communibus imponenda. vel ad ea, quæ ipsi ab alio privato vi rigorosi juris activi præstanda sunt : utraque est vera & stricta injustitia : quia proprietæ justitiae opponitur , ex quo capite etiam una ab aliâ specificè differt : prior enim est opposita justitiae distributivæ & vocatur acceptio personarum , altera opposita est justitiae commutativæ , quæ vocari solet injuria , quæ pro diversitate Jurium in bona corporis, fortunæ &c. in alias species subdividitur : ut in injuriam homicidii , furti &c.

Obj. Omne peccatum est injustitia ; quia lādit Jus divinum. Ergo injustitia non est vitium speciale. Deinde injustitia particularis non est speciale vitium ab injustitia legali sed potius species sub ea contenta : cum S. Th. loc. cit. vocet eam vitium generale.

R. ad 1. Sicut non est proprietæ hominis erga Deum Justitia , ita neque peccatum est injustitia proprietæ sed latius sumpta prout injustum est, quod non est Regula & mensuræ suæ adæquatum. Ad 2. dicitur injustitia legalis vitium generale non quoad essentiam , sed quia agit ex contemptu boni communis , ad quod universaliter omnium virtutum actus ordinari possunt.



QUÆSTIO II.

An volens possit pati injustitiam?

DICO. Injustum per se & formaliter loquendo nullus potest... pati, nisi volens S. Th. hic Q.
§9. A. 3. Q.

Probatur: impossibile est, quod idem secundum eandem partem sit simul agens & patiens alias esset simul in actu & potentia respectu ejusdem; atqui is, qui pateretur injustum à seipso, vel volens, esset simul agens & patiens respectu ejusdem voluntatis: consentire enim in aliquam rem tamque velle, est agere, recipere eandem cum renitentia, est pati.

Obj. I. Qui à seipso occiditur, vel ab alio ad propriam petitionem, patitur injustam occisionem volens; sicut etiam Christus à Judæis est occisus volens juxta illud Is. 53. *Oblatus est, quia ipse voluit,* uti etiam plures ex Ss. Martyribus voluntariè passi sunt mortem; atqui hujusmodi occisiones fuerunt iustæ: erant enim occisiones innocentium.

R. Distinguendo mihi. Hujusmodi occisiones erant injustæ respectu occisorum N. respectu occidentium
Con. occisus enim tali casu, si petat occidi; non patitur injuriam, uti nec quando seipsum occidit, occisor tamen facit injuriam, non occiso, qui voluit, sed Deo & communitati: quia homo non tantum potest considerari secundum se, sed etiam in quantum est pars communis & in quantum est aliquid Dei. Christus autem & Ss. Martyres etiamsi voluerint sufferre mortem, nolebant tamen iniquam occidentium actionem; hanc enim potius patienter tolerarunt, quam voluerunt. Aliud igitur est velle sponte & liberè injuriam pati, aliud est velle ipsam actionem formaliter ut injurias: is enim qui solum vult permettere injuriam non defendendo se aut non subtrahendo se, cuin posset, patitur in-

DE INJUSTITIA IN COMMUNI.

¶

injuriam : quia non cedit juri suo. Præterea tametsi quis petat aut desideret pati injuriam , potest tamen ei injuria fieri : quia potest esse invitus : potest enim actus ille , quo vult non cedere juri suo in rem , quam sur v.g. auffert , consistere cum actu , quo vult non reti nere rem sed aufferri. Ex eâdem ratione potest pati injuriam , qui antequam patiatur , remittit omnem of fensam : quia remissio offensæ non est remissio Juris ad compensationem & exigendam pœnam , sed est re missio Juris , quod offensa dare videtur ad aversionem & indignationem aduersus offendentem. Denique po test pati injuriam , qui condonat omne Jus , quod illi ad petendam compensationem potest competere ex illa tâ injuriâ : quia retinet Jus , ut non inferatur injuria : distinctum enim est Jus , quod habeo , ut non infa mer , & quod habeo , ut restituatur fama.

Obj. 2. Qui consentiente marito cum uxore committit adulterium facit injuriam volenti marito ; ergo.

R. N. ant. Nam viro consentienti in adulterium nulla fit injuria , sed matrimonio , quod exigit , ut sola uxor , quæ habet Jus in corpus viri , eo utatur , & solus maritus utatur corpore uxorius , nec potest huic juri renuntiare ; sic etiam deflorans virginem de consensu virginis , non facit injuriam virgini sed parentibus , sub quorum est tutela ; itâ etiam percutiens Clericum volentem percuti non facit injuriam Clerico , bene tamen statui Clericali , ob quod etiam excommunicatur.

Ex quibus observandum quod R. J. 27 in 6. Scien ti & consentienti non fit injuria neque dolus : debeat intelligi copulativè , itâ ut & scientia & consensus si mul adsint , ut in eo , quod quis scienter & plenè voluntariè patitur , nec decipiatur , nec injustè lœdatur , ut sensus sit : plenè scienti & liberè omnino ac sponte consentienti , itâ ut nequidem secundum quid sit invi

tus, non fit injuria; aliás si quis sit damnosus alteri scienti & voleti simpliciter, attamen nolenti (puta rationabiliter) secundum quid facit injuriam; fieri autem hoc potest dupliciter: imprimis per coactionem explicitam, deinde per coactionem implicitam; propter explicitam coactionem patitur injuriam, qui à prædone cogitur dare certam summam pecuniaæ alias spoliandus, item ille, qui ad redimendam iniquam litem sibi intentatam & continuatam eo fine, ut extorquetur aliqua compositio, consentit in summam pecuniae; quibus adde rusticum dantem officiali militari aliquam summam ad avertendam indebitam hospitationem vel pabulationem, ad extorquendam pecuniam intentam. Propter coactionem implicitam fit injuria, quando receptores Principis vel Civitatis Creditoribus suorum principalium non solvunt, vel solutionem differunt, nisi à Creditoribus aliqua munera offerantur; item Judices aliquae officiales, si in suis expeditionibus se se morosos exhibeant, quo usque per munerum oblationem excitentur vel urgeantur. Propter eandem vim faciunt injuriam illi, qui indigentia pressis non dant mutuum nisi sub usuris, qui res suas justo carius vendunt scientibus & volentibus, quia illos necessitate res istas habendi premi neverunt, aut certè sciunt illas emptoribus esse admodum commodas & utiles, tametsi nec in se nec ipsis vendentibus res illæ tanti valeant; idem est de illis, qui vilissimo pretio conducent operas aliorum, qui malunt etiam pro tantillo operas suas impendere potius, quam otiani, adeoque omni mercede carere.

QUÆSTIO III.

Quid requiratur ut injustitia sit peccatum mortale?

DICO. Facere injustum ex genere suo est peccatum mortale... qui in parvis facit injustitiam, deficit

ficit à perfectâ ratione ejus , quod est injustum facere
S. Th. hic Q. 59. A. 4. O. & ad 2.

Explicatur & probatur Conclusio : ad peccatum mortale duo requiruntur : perfectio deliberationis, ut aliquis cum plena advertentia consentiat in malum ; & gravitas materiæ ; ergo ut aliquis committat peccatum mortale injustitiae , debet non ex passione , sed ex plenâ deliberatâ intentione alium damnificandi alteri inferre grave damnum in bonis corporis vel animæ ; quod si alterutrum desit , vel perfecta deliberatio, vel gravitas materiæ , non est peccatum mortale injustitiae.

Obj. Qui alteri grave damnum in spiritualibus infert, inducendo eum in peccatum veniale, non peccat mortaliter ; ergo neque qui grave damnum in temporalibus sciens & volens infert.

R. Omissio antecedente negando consequentiam : inducens enim in peccatum veniale non est causa efficax damni , sed is , qui venialiter peccat , qui proinde hoc damnum spirituale non patitur invitus planè, sicut patitur damnum temporale.

Observa aliud esse : facere injustum, & aliud facere injustè vel injustitiam vel esse injustum , quia sæpè aliquis bonâ fide ex ignorantia invincibili facit contrâ Jus alterius , qui tamen non facit injustè vel injustitiam, nec est injustus , quia non agit ex pravâ & deliberatâ intentione alium damnificandi.

Q U Ä S T I O IV.

De injustitia distributiva & commutativa.

DE speciebus insimis injustitiae, quæ distributivæ & commutativæ Justitiæ sunt oppositæ , tum in præcedentibus tum in subsequentibus latius tractandi locus est. Hic tantum generaliter.

DICO. Sicut objectum Justitiae est aliquid aequalis

in

in rebus exterioribus, ut etiam objectum injustitia est aliquid iniquale prout scilicet alicui attribuitur plus vel minus quam sibi competit. S. Th. hic Q. 59. A. 2. O. Sive injustitia particularis dividitur in eam, quæ opponitur Justitiae distributivæ, & quæ est opposita Justitiae commutativæ secundum diversam inæqualitatis rationem, ut species subalternas.

Explicatur: vel injustitia particularis facit inæqualitatem inter Jus passivum, quod est in distribuente bona communia & Jus activum vel condignitatem, quæ est in particulari Persona ad bona communia, & hæc opponitur Justitiae distributivæ, quæ servat æqualitatem proportionalem inter merita Civium & præmia. Vel injustitia particularis facit inæqualitatem inter Jus activum strictum, quod habet particularis homo ad hanc rem vel in hâc re, v.g. non reddendo mercem, pro quâ acceptum est pretium, furando, detrahendo &c. & opponitur Justitiae commutativæ.

Obj. Non est injustitia, quæ negat aliquid illi, qui dignus est: alias, qui benefactori non exhibet gratitudinem, qui negat pauperi eleemosynam esset injustus; sed injustitia distributiva negat aliquid digno.

Ré. Benefactori non negatur aliquod communitatis bonum, cuius est Pars, neque pauperi, proinde non agitur nisi contrà moralem virtutum gratitudinis & charitatis honestatem, at vero in distributione bonorum communium negatur dingo, cui, quia communitatis Pars est, illud bonum secundum exigentiam dignitatis est tribuendum, unde verè committitur injustitia.

DISPUTATIO XXVI.

De homicidio.

Hæresis fuit Manichæorum teste S. Aug. lib. I. de Civit. Dei cap. 20. Illicitum esse homini occidere